



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LIX. De Abortu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Negative, quia non est violatio, ubi non est consensus, sicut ait S. Lucia ad Tyrannum. *Mastrius dict. disp. 11. num. 115.*

13. *Quer.* An liceat Viro nobili acceptare duellum, ne vilis habeatur cum dedecore, & amissione honoris? *Resp.* Moralistas solitos fuisse affirmare; sed ab eis est cavendum; Cum à *Sacr. Congr. d. an. 1665.* damnata sit hæc Propositio: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Et jure quidem, nam omnis pugna privata, exposita periculo cædis proximi, est illicita, & gravissimis Constitutionibus Summorum Pontificum prohibita; nec desunt remedia conservandi honorem in similibus provocationibus, de quibus idem *Mastrius in Theol. Mor. disp. 10. num. 113. & disp. 11. pariter num. 113.* ubi subdit, licitum esse, acceptare duellum, quando ob reculationem quæ esset statim ab inimico suo armato confodiendus, cum ipse non haberet arma ad se defendendum; vel si in bello justo ad terminandum bellum hinc inde Principes bellantes conveniant, ut per duellum terminetur discordia; & hoc ob commune bonum, & ad parcendum cædi majoris numeri militum. His addit *Tambur. lib. 6. in Decalog. cap. 1. §. 3. num. 8.* si quis non acceptans duellum, perderet plura bona pretiosa, vel officium, aut dignitatem tanquam vilis, & ignavus; quod probabile dicit *Diana part. 5. tract. 14. resolut. 99.* quæ in Coordinato est *tom. 5. tract. 1. resolut. 55.* Sed, post damnatam opinionem supradictam, non videtur eis assentiendum.

14. *Quer.* An licitum sit, fugientem insequi ad recuperandum honorem propter acceptam ab eo alapam, illumque vulnerare, & repercutere? *Resp.* Alii negant, quia est species vindictæ, prosequi fugientem. Alii affirmant, si alapa percussus statim, & incontinenti insequatur fugientem, ad recuperandum honorem, quem sibi ipso actu aufert fugiendo. Secus si ex intervallo, & interposita mora; tunc enim est, vindictam facere. *Mastrius, & apud eum DD. d. disp. 11. num. 114.*

15. *Quer.* An licite parentes filios suos castrare faciant, ut voce, & cantu Ecclesiæ serviant? *Resp.* Plures asserere, inter quos *Tamburin. part. 2. in Decalog. lib. 6. §. 1.* plures autem negare, inter quos *Caramuclem in Theol. Fund. à num. 1603. & pluribus segg.* ubi mordicus defendit opinionem negativam; sed *Mastrius dict. disp. 11. num. 116.* potius adhæret affirmativæ; quam (inquit) probabilior reddit quotidiana praxis, præsertim in Romana Curia, ubi hujusmodi Eunuchi permittuntur in servitium Musices, & Ecclesiarum.

16. *Quer.* An dimissus è carcere data fide, vel præstito Juramento de redeundo ad carcerem, teneatur redire, si certò sciat, se esse damnandum ad mortem? *Resp.* Asserere *Cajetan. 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 4.* Negare *Glossam in Clem. Pastorals, de Sentent. & re judic.* quam sequuntur Canonistæ omnes. Alii distinguunt, si talis dimissus est innocens, non tenetur redire; secus autem,

si sit reus, & juridicè contra eum Judex procedat. *Azor. d. part. 3. lib. 2. cap. 3. quæst. 8.*

17. *Quer.* An Carthusianus, iter agens, si ad edendum non reperiat, nisi carnem, possit illam comedere; vel teneatur ob famem mortem subire? *Resp.* In eo casu, teneri carnem edere; ejus enim regula obligat, abstinere ab esu carnium, ubi alia sunt alimenta. *Azorius d. cap. 3. qu. 14.*

18. *Quer.* Tempore naufragii, si duo sint in navicula; & nisi unus ejiciatur in mare, ambo sint perituri; An liceat uni ejicere alium, ut salvet seipsum? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; & casum esse difficilem; nam qui ejicit socium in mare, videtur intendere conservationem suæ vitæ, non autem mortem illius. At uterque est in possessione naviculæ; neque majus jus competit ejicienti, quam ejecto. *Azor. d. cap. 3. qu. 20.*

19. *Quer.* An bannitus, & proscriptus à Principe cum licentia unicuique illum impunè occidendi, possit se defendere, & suos aggressores occidere? *Resp.* Esse discrepantiam inter Criminalistas, quos citat *Tamburin. d. lib. 6. in Decal. cap. 1. §. 1. num. 8.* ubi scribit, se defendendo posse bannitum aggressores occidere, quia per sententiam Judicis non amisit jus, tuendi suam vitam. Qui verò occidunt taliter bannitos, & proscriptos, non peccant. *Tambur. dict. cap. 1. §. 4.*

20. *Quer.* An quis, ut defendat unum ex proximis, teneatur injustum aggressorem occidere? *Resp.* Si ille proximus sit ei cognatione conjunctus, vel sit ejus Superior, tenetur, si potest, eum defendere occidendo injustum aggressorem. Secus si aggressus sit unus ex communi proximo; tunc enim eadem charitas urget pro vita aggressoris. ac aggressi, Ita ex *Suarez Tamburino, d. lib. 6. cap. 1. §. 1. num. 11.*

21. *Quer.* An Judex possit condemnare ad mortem illum, qui secundum allegata, & probata videtur reus; si Judex sciat, tanquam vir privatus, esse innocentem? *Resp.* Alios DD. asserere, alios negare, ut refert *Tamburin d. cap. 1. §. 4. à n. 8. & segg.* & *Mastrius in Theol. Moral. disp. 8. num. 28.* qui adhærent opinioni negativæ, non solum, si Judex sit supremus Princeps; sed etiam si sit inferior, quia nunquam Jura permittunt, condemnare innocentem. Idem affirmant, si malefactor sit occultus; illum enim condemnare ad mortem, nullus Judex potest, neque Princeps, etsi certus de ejus reitate; nisi ex ejus vita ageretur de magno Reipublicæ damno.

22. *Quer.* An liceat privata auctoritate Tyrannum occidere? *Resp.* Cum distinctione. Si sit Tyrannus, qui per vim occupavit Regnum, licet. Si vero tyrannicè gubernet, non licet. *Mastrius d. disp. 8. num. 27.*

CAPUT LIX.

De Abortu.

1. *Quer.* An liceat prægnavanti infirmæ pro tuenda vita sua procurare abortum? *Resp.*

Erotem. Eccles. Cap. LX. De Homicidio Casuali. 95

Resp. Si foetus sit inanimatus, potest procurari abortus non directè, sed indirectè ad sanitatem matris consequendam. Si verò sit foetus animatus; alii dicunt, neque directè neque indirectè posse matrem pharmaca sumere ad recuperandam sanitatem, si inde abortus sit sequuturus; quia debet præferre salutem spiritualem proliis sanitati suæ corporali. Alii distinguunt; si matre abstinente à medicamentis spes probabilis sit, quòd proles sit viva nascitura, tenetur mater abstinere; at si hæc spes cesserit, poterit mater ad conservationem suæ vitæ sumere pharmaca, quamvis sequuturus sit abortus; nam evitari non poterat, si mater mortua esset. Mastrius d. disp. 8. num. 30. & 31. & Tambur. d. lib. 6. in Decalog. cap. S. 4. Et novissimè Cardenas in Crisi Theolog. Dissert. 22. n. 21. & seqq.

2. *Quer.* Quo tempore foetus sit animatus? *Resp.* Si foetus humanus sit maculus, animatur anima rationali post quadraginta dies à conceptione; si verò sit femininus, post dies octoginta, secundum Aristotelem lib. 5. Animal. cap. 3. & 9. Farinac. q. 122. n. 141. Cæsar de Panimoll. Decis. 68. num. 17. Porro Cardenas in Crisi Theolog. part. 1. tract. 1. disp. 14. cap. 3. n. 28. & seq. auctoritate doctissimorum Medicorum docet, etiam prima, secunda, aut tertia die foetum fieri animatum.

3. *Quer.* An liceat procurare abortum foetus inanimati, ne puella gravida infametur, aut occidatur à suis parentibus? *Resp.* Olim opinionem affirmativam tanquam probabilem plures Moralitas docuisse, quos citat Diana Coord. tom. 5. tract. 6. resol. 44. & resol. 46. & Cardenas in Crisi Theolog. d. Dissert. 22. cap. 4. cum tribus seqq. Sed hodie hæc opinio est damnata à Sanctissimo Innocentio XI. Propos. 34. Quare si verò foetus sit animatus, si verò inanimatus; non licet ejus abortum procurare; ea ratione, quia est intrinsecè malum, tum innocentem occidere, tum destruere generationis actum; & dispositionem jam inceptam ad vitam hominis. Tambur. d. lib. 6. in Decal. cap. 2. S. 4. num. 5. & 6. ac Philippin. de Privil. Ignor. cap. 10. Priv. 7. ubi tamen perperam conatur excusare à censura ob ignorantiam procurantes abortum foetus animati, effectu secuto, quia ignorantia juris neminem excusat, si actio est manifestè mala, & peccaminosa, ac prohibita jure naturali, vel divino. Thesaur. de Penis Eccl. part. 1. cap. 15. resp. 3. & 4.

4. *Quer.* Quæ sint poenæ inflictæ contra procurantes abortum foetus animati, effectu secuto? *Resp.* Esse sequentes. 1. Excommunicationem Papalem, si foetus erat animatus, reservatam hodie locorum Ordinariis. 2. Si procurantes sint Clerici, incurrunnt privationem privilegii Clericalis, ac beneficiorum; & sunt inhabiles ad illa. 3. Non gaudent immunitate loci sacri, quia censentur homicidæ proditores. 4. Infamiam Juris. 5. Irregularitatem: Ita Thesaur. de Penis part. 2. Verb. abortus procuratio.

5. *Quer.* Quis possit absolvere à prædicta Excommunicatione ob abortum? *Resp.* E-

piscopi, & locorum Ordinarii, qui possunt facultatem delegare cuicumque Confessario. Regulares verò, habentes privilegium absolvendi à reservatis Sedi Apostolicæ, poterunt absolvere etiam ab hac censura; nisi Episcopi specialiter sibi reservaverint hunc casum; ut ubique fieri solet. Thesaur. dict. Verb. Abortus Vers. Primo. Et Lezana tom. 3. eod. Verb. num. 7. Quia Regulares nunquam possunt absolvere à peccatis per Episcopos reservatis, ut ostendi de Pœnitentia decis. 46. num. 16.

6. *Quer.* Quæ sint poenæ contra procurantes abortum foetus inanimati? *Resp.* Præter culpam mortalem esse poenam Juris communis, videlicet, fustigationem mulieris, & condemnationem virorum ad triremes; vel ad carcerem, ut docent Criminalistæ, quos cumulat Cæsar. de Panimoll. decis. 68. à num. 7. & seqq.

7. *Quer.* An Irregularis occultus ob procurandum abortum possit dispensari à Sacra Pœnitentiaria? *Resp.* Affirmativè; sed debet exprimere, si foetus erat à se genitus, aliàs gratia erit subreptitia. Thesaur. dict. part. 2. cap. 1. Verb. Abortus, in fine.

8. *Quer.* An incurrat poenas antedictas, qui causat abortum, vel percutiendo mulierem gravidam, vel cum ea immoderatum coitum exercendo? *Resp.* Negativè, si non adverterit ad periculum abortus. Non tamen effugiet irregularitatem, abortu foetus animati secuto. Lezana tom. 3. in Sum. Verb. Abortus num. 16.

9. *Quer.* An incurrat dictas poenas, qui ratum, & gratum habet abortum ejus nomine factum? *Resp.* Negativè, si id sciverit post factum. Affirmativè, si antequam fieret, approbasset. Lezana d. Verb. Abortus num. 17.

10. *Quer.* An sit aliqua Propositio evitanda tanquam damnata circa abortum? *Resp.* Esse la 35. inter illas damnatas ab Innocentio XI. quæ sic asserbat: Videtur probabile, omnem fetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali; & tunc primùm incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. De iniquitate, nè dicam bestialitate hujus Propositionis tractat Cardenas in Crisi Dissertat. 22. cap. 8. ubi eam vocat delirium.

CAPUT LX.

De Homicidio Casuali.

1. *Quer.* Quæ, & quot sint Regulæ ad cognoscendum, an Homicidium fuerit Voluntarium, vel Casuale? *Resp.* Esse quatuor Regulas. Prima est, cum quis dat operam rei licitæ, ut si Murator cooperiat domum; & tunc, si posuerit signum, vel clamaverit; & viator ligno, vel saxo occidatur, homicidium erit casuale, & absque ulla culpa. Si verò Murator negligens fuerit in clamando, vel ponendo signum; erit culpa Venialis, si negligentia fuerit levis; at mortalis, si negligentia fuerit gravis.

Secun-